

Area F Sight Recitation  
2003 Level 4

Horace, *Sermōnēs* (*Satires* I.6.71ff.)

...pater...quī macrō pauper agellō  
nōluit in Flāvī lūdum mē mittere, magnī  
quō puerī magnīs ē centuriōnibus ortī,  
lāevō suspēnsī loculōs tabulamque lacertō  
ībant octōnōs referentēs īdibus aeris,  
sed puerum est ausus Rōmam portāre docendum  
artēs quās doceat quīvīs eques atque senātor  
sēmet prōgnātōs. Vestem servōsque sequentēs  
in magnō ut populō, sī quī vīdisset, avītā  
ex rē praebērī sumptūs mihi crēderet illōs.  
ipse mihi custōs incorruptissimus omnēs  
circum doctōrēs aderat...  
nec timuit, sibi nē vitiō quis verteret, ōlim  
sī praecō parvās aut, ut fuit ipse, coactor  
mercēdēs sequerer...  
laus illī dēbētur et ā mē grātia māior.